

D. D.

*Dissertatio Academica,*

*Fabricam, Usum & Differen-  
tias Palporum in Insectis  
exponens.*

---

Cujus

Particulam Imam

*Consent. Ampl. Facult. Phil. Aboëns.*

*Præside*

*D:no Gabriele Bonsdorff,*

*Phil. & Med. Doct. Hist. Nat. & Art. Veter. Prof. Reg.  
& Ord. Reg. Acad. b. t. Rettore Magnifico,*

publicæ censuræ submittit

*Johannes Ahlman,*

*Borealis*

*In Auditorio Maj. die XXV April. MDCCXCII.*

H. A. M. C.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

# Konungens

Tro-Tjenare och Öfver-Inspectör samt Tullförvaltare  
vid Stora Sjö-Tullen i Åbo

Välborne

Herr JOHAN WILH. SKUNCK,

Vördade Gynnare.

Om någon haft tillfälle at erfara Försynens dolda vägar at hjälpa den, som en oblid lycka lämnat vörnlös; så är det visserligen jag, som alt ifrån barndomen, fått i Välborne Herr Öfver-Inspectören vörda en så ovauligen ädelmodig välgörare. Intet ögnablick förlöper därföre, hwär under jag icke innom mig sjelf uplifvar minnet af den ofskattbara ynnest och godbet jag åtnjutit; och då jag genom de samma blifvit satt i tillstånd att kunna utgifwa detta mitt första Academiska arbete, så tillåta icke mina känslor mig, at därvid lyda min Vördade Välgörares önskan, at så göra godt, utan at synas. Välborne Herr Öfver-Inspectören täcktes därföre förunna mig den ljufwa tiltredsställelse, at såsom ett ringa vedermåle af min vördnadsfulla erkänsla, så tillägna Välborne Herr Öfver-Inspectören dessa blad, och tillika ofsenteligen ådagalägga den djupa vördnad, hvarmed jag intill mitt yttersta frambårdar at vara

Välborne Herr Öfver-Inspectorens

Återödmjukaste Tjenare

JOHAN AHLMAN,

*Dissertatio Academica*

De

*Fabrica, Usu & Differentiis Palporum in Insectis.*



**C**ontemplationum Entomologicarum, in quibus totus animus, rerum naturæ considerationi devotissimus, defixus diu fuit atque modesto illo consilio occupatus, ut stabile quoddam, in instructionem saltem propriam, descriptionum olim a nobis forsitan consignandarum fundamentum suppeteret, series ac præstituta ordinatio, similem protinus concinnandam suadet Fabricæ Usus & Differentiarum, quæ Palpis Insectorum congruere reperiuntur adumbrationem, atque de Antennis, biennio abhinc, non sine magna ex communi, quam experti sumus, peritorum assensione atque declarata approbatione concepta delectatione ac incitatione divulgavimus; ad quam idcirco luci publicæ tradendam nos jam vocat tacita artis amantium expectatio. In hac autem materia, ab omnibus divitiarum artificiorumque naturæ mystagogis, vel prope modum intacta vel tantum transitorie delibata, tantis ideoque ambiguitatibus implicata atque, si vel structuram harum partium internam atque genuinum usum

A

sum, vel conformationis & figuræ varietates memorabiliores spectaverimus, tot conjecturis atque defectibus adhuc oppressa, quodsi plenos certitudinis ac perfectionis numeros, omni conatu studioque quamvis adhibito, explere non valuerimus, non mirabitur, quisquis animadversionum ac notationum naturæ in partibus hisce minimis omnino maximæ penuriam fere absolutam, virium quas tamen periclitari permovet argumenti dignitas tenuitatem, temporisque qua hac inprimis occasione premimur, angustiam rite perpenderit ac in satisfactionem nostram benigne atque justè æstimaverit.

### *Sectio Physiologica.*

#### §. I.

Mira est & primo mox ad aspectu evidentissima inter Palpos & Antennas Insectorum quoad figuratorem & coagmentationem similitudo, omnibus numeris usque adeo expleta, ut situ eorundem atque adhæisionis puncto probe non animadvertis, facillime in unum idemque membrum confundi possint, vel saltem ægrius a se invicem discerni. Entomologis nimirum *Palpi* dicuntur cornicula capillaria, tubulosa, cornea, articulata, partibus oris internis intra eius aperturam adnata, foras tamen ex ore cirrorum instar sæpissime eminentia atque radiatim expansa, in vivo infecto mobilissima, numero, figura & reliquis exter-  
nis

nis affectionibus valde variantia; quæ propterea ab *Antennis* ne hilum quidem fabrica differunt, sola sua a Iunibus cavicatis oris circumscripta sede ac insertione dignoscenda.

Tantum tamen abest ut in hac membrorum utriusque generis affinitate sincera causa probabiliter lateat, cur omni naturæ scrutatorum ævi ante immortalem LINNEUM transacti attentioni plane se subdlexerint, uno atque altero ex Insectis, quæ Palpos gerunt valde dilatatos & extensos, exceptis, in quibus peculiaria hæc capitis armamenta utpote exstantissima oculo tantum fugitivo observata, atque obscura nuncupatione commemorata esse deprehendimus mirabundi. Sic historiam animalium per singula membra adumbraturus, lusumque naturæ in armis eorundem depicturus PLINIUS (*Hist. Mundi* L. XI. C. 37) cornicula in quodam genere pro manibus ad scabendum corpus se detexisse prodit, quæ quidem huc pertinere æque est a dubio remotum, ac bina illa crura priora prælonga, quæ pedibus senis ordinariis in quibusdam *Araneis* accedere refert (C. 24 & 48), quin etiam brachia, quæ *Scorpionibus* adjudicat (C. 25.) Palpos exacte veros esse habenda. Sic cornicula proxime supra tela capiti *Aranearum* inserta, Antennas esse conjecturat LISTER (*de araneis Lib.*) de functione eorum a pedum diversissimo jam certissimus, cuius & vestigiis institerunt nonnulli auctores Entomologici. Quid! quod ipse SWAMMERDAM, magnus il-

le partium Insectorum indagator ac descriptor, de habitu Palporum genuino valde interdum dubius, non *Araneorum* tantum artus nominatos, verum etiam *Scorpionum* brachia cum brachiis *Astacorum* pedum munus apertissime obeuntibus confudisse videatur (a); unde satis superque patet, bonos viros tanti nominis, in designando non minus artificio quam negotio Palpis naturaliter insito, permultum fuisse parsimoniae deditos ac vacillantes. Neque multo copiosior in describendis Barbulis, quas ad latus sui oris habere solent Insecta (propria magni auctoris appellatione hisce partibus imposita fruimur) erat oculatissimus LYONET (*Insect. Theol.*), quamvis nostro, quale id cunque sit, iudicio valde ad fidem pronam de ministerio istis Barbulis convenientissimo conjecturam excogitaverit & rationibus haud sane contemnendis confirmaverit, postea nescio quo fato aut oblivioni aut contemptui tra-

---

(a) cfr. SVAMMERDAMII *Bibl. Nat.* p. 46. 48. ubi hæc de Palpis pediformibus *Araneorum* exstant verba: "artus hi sunt, æque ac alia crura omnia cum thorace commissi, licet paulo altius, ut tanto se celerius possent movere &c. — extremo suo adfixum gerunt unguiculum, parum incurvum, nigricantem, quapropter sane omni jure quintum par pedum vocari possent videntur idque vel eo magis, quoniam & musculos suos eadem ratione intus, gerebant ac reliqui pedes, & pilis pariter fetisque spinosis hispidi erant. Ast conveniunt magis cum brachiis *Astacorum* & *Scorpionum* &c."

traditam. Completa igitur & exacte definita horum articulorum tot diversis cognominibus leviter et sparsim commemoratorum adumbratio diu desiderata, uni ad perficiendum reservata erat LINNEO, consummato illo et ad singula naturæ miracula eruenda nato atque facto ingenio, cujus præceptis, facem subinde aliis præferentibus imbuti atque abundantes haud pauci currentis seculi Entomologi, quorum cæteris palmam præripuisse videtur accuratissimus FABRICIUS, laudabiliter in habitu & differentiis Palporum saltem præcipuis distingvendis atque explicandis suam collocarunt operam. Interim tamen magna adhuc in codicibus Auctorum occurrit observationum in Palporum varietates dissipatio ac diffusio, quandoquidem in characteribus & descriptionibus vel generum vel specierum sparsim tantum & citra ipsius materiæ complexum memoriæ proditæ sunt; quamobrem in unum locum & quasi corpus redigere consultum duximus, quæ ad historiam Palporum naturalem illustrandam quidquam facere intellexerimus.

## § II.

Ipsa effigies & conformatio Palporum externa, pariter ac aspectus solemnior mirum quantum variare cernitur, pro diversa numeri, amplitudinis & insertionis ratione. Jam enim quibusdam generibus iisdemque haud paucis prorsus denegati sunt, & in eorum locum atque negotium alia instrumenta substituta; cuius defectus e-

xempla satis spectabilia nobis sistunt genera omnia ore rostrato instructa, quæ alteram ordinis *Hæmipteriorum* Lin. phalangem constituunt scil. *Fulgora*, *Cicada*, *Notonecta*, *Nepa*, *Cimex*, *Aphis*, *Chermes*, *Coccus*, *Thrips*, quæque familiæ propria sua classe, *Ryngotorum* nimirum, in Systemate Fabriciano comprehenduntur, una cum *Pulicis* genere ex ordine *Aptercum* L. huc propter similitudinem fabricæ oris translatò generibusque novis septenis e Linneanis evullis, *Membracis* scil. *Tetti-gonia* & *Cercopis* e *Cicadis*, *Sigaræ* e *Notonectis*, *Nauco-ris* e *Nepis* atque *Acanticæ* & *Reduvii* e *Cimicibus*, adaucto & multiplicato; quibus cohortibus palpis destitutis adhuc accedunt genera nonnulla ex ordine *Dipterorum* Lin. quæ *Antliata* Fabricio audiunt, puta *Oestrus*, *Hippobosca* & ex *Apteris* Linn. huc itidem transpositus *Pediculus*: quorum omnium in osculis ne ipse quidem Fabricius, multo minus alii, vestigium ullum palporum hucusque detegere potuerunt. Jam pare tantum unico plerasque instructas & contentas esse voluit natura familias: ex ordine imprimis *Dipterorum* L. (b.) (*antliatorum* Fab.) omnes quotquot hisce fruuntur organis;

&

---

(b) Genera *diptera* palpis geminis ornata sunt: *Tipula* L. *Musca* L. cum suis congeneribus, quæ sunt *Bibio*, *Stratiomys*, *Rhagio* & *Syrphus* Fabr., *Tabanus* L. *Afilus* L. *Conops* L. eiusque affines *Rhingia*, *Stomoxys* & *Myopa* Fabr. *Culex* L. *Empis* L. *Bombylius* L. & quem ad *antliata* sua superaddit ex *apteris* Lin. Fabricius *Acarus*.



& *Lepidopterorum* L. quæ *Glossata* a Fabr. nominantur (c.), unico genere *Tineæ* Fabr. alteram *Phalænarum*. *Tinearum* Linn. centuriam involvente, cui duplex jugum concessum esse cognovimus, excepto; nec non ex ordine *Neuropterorum* & *Apterorum* Linn. omnia illa genera, quæ in unam classem *Unogatorum* Fabr. sunt contracta: scil. *Libellula* L. cum cognatis *Aeshna* & *Agrion* Fabr. *Zulus* L. *Scolopendra* L. *Trombidium* Fabr. e genere *Acari* L. eductum, *Aranea* L. *Phalangium* L. *Scorpio* L. Jam quaternarium numerum huic progeniei largissima manu impertivit rerum creatarum Artifex. Præter enim quam quod integra *Ulonatorum* Classis Fabr. novissimas *Coleopterorum* L. & primores *Hemipterorum* familias complectens, (d.) duplici palporum pare sit ornata; perplurima sunt & portione non minus quam numero maxima genera e vastissimo *Coleopterorum* L. ordine, *Eleuteratorum* cognomine apud Fabr. insignito, quibus quadrigeminus palporum apparatus est

(c) E *Lepidopteris* Lin. vel *glossatis* Fabr. simplici pare gaudent *Papilio* Lin. *Spbinx* L. cum suis consanguineis *Sesia* & *Zygæna* F. atque e *Phalænarum* L. stirpe unico genere L. comprehensa genera Fabr. inferiora: *Bombyx*, *Hepialus*, *Noctua*, *Phalæna*, *Pyræalis* *Alucita* & *Pterophorus*.

(d) Genera huius loci sunt: *Forficula* L. *Blatta* L. *Mantis* L. *Gryllus* L. cum colonis suis novis a Fabr. inde deductis; *Acrydio* nim. *Truxali*, *Acheta* atque *Locusta*.

est adjudicatus, infra enumeranda (e.); Pariter ac in  
Syni-

---

(e) *Coleopterorum* stirpes ab interno oris cavo quadricornes recitare lubet: Sunt *Lucanus* L. *Letbrus* Fabr. mantiss. (*Bulboceros* Acarii in act. Holm.) *Scarabeus* L. cum suis confœderatis a Fabr. dimissis *Trox*, *Melolontha*, *Trichio* & *Cetonia*, *Dermestes* L. cum sociis *Apate* & *Sphæridio* Fabr. *Hister* L., *Melyris* L., *Ips* Lin. (*Bostriicus* F.), *Byrrbus* L. cum congeneri *Anthreno* F. *Ptinus* L. cum propinquo *Anobio* F. *Silpha* L. cum pristinis suis subditis *Elophoro*, *Tritoma*, *Ips*, *Nicrophoro*, *Opatro* & *Nitidula* Fabr. *Cassida* L., *Hispa* L., *Bruchus* L. *Coccinella* L., potiores *Chrysomelarum* L. subdivisiones quæ *Cryptocephalus*, *Cistela*, *Crioceris*, *Erotylus*, *Lagria*, *Zygia* & *Zonitis* Fabricio dicuntur, *Curculio* L. cum nuperrime emigratis *Brento* & *Rhinomacere* F. mantiss., *Attelabus* L. cum antea adjunctis *Clero* & *Spondyli* F. *Cerambyx* & *Leptura* L. cum commilitonibus suis *Priono*, *Lagria*, *Stenocoro*, *Calopo*, *Rbagio*, *Saperda*, *Callidio*, & *Donacia* Fabr., *Lampyris* Lin. cum cognatis *Pyrochroa* F. & *Lycu* F. Mantiss. *Cantbaris* L. cum contubernalibus *Limexylo*, *Horia* Mantiss. *Cucujo* & *Malachio*, *Necydalis* L. *Ela-ter* L. *Buprestis* L. *Hydrous* L. (*Hydrophilus* F.) *Gyrinus* L., *Tenebrionis* L. genera inferiora a Fabr. citata fere omnia, nempe *Sepidium*, *Tenebrio*, *Pimelia*, *Scaurus*, *Blapps*, *Helops* & *Erodus*, *Manticora* Fabr. Mantiss. quæ a *Cicindelis*, quibus a Cel. Thunbergio asseritur, numero palporum quaternario aperte differt, *Meloë* Linn. & quæ eidem adscripta quondam fuerunt *Notoxus*, *Lytta*, *Mylabris* & *Cerocoma* F., *Mordella* L. *Staphylinus* L. cum fiduciariis suis *Oxypora* & *Pedero* Fabr.

*Synistatorum* Fabr. cohorte numerosa sunt stemmata, ex altera serie *Neuropterum* Linn., universo *Hymenopterorum* L. complexu & generibus quibusdam *Apterorum* L. congregata, quæ quadrijugum palporum ministerium subeunt (f); silentio ne tamen prætereamus unicum *Glossatorum* Fabr. genus, *Tineam* scil. & speciem alteram novi generis *Pycnogoni* e Classe *Antliatorum* Fabr. Mantiss. *grossipes* inscriptam, quæ præter morem congenerum suorum palpis quaternis munita esse deprehendimus. Jam denique par trigeminum membrorum hujus officii osculis haud raro adhæret Insectorum e familiis quibusdam *Eleuteratorum* & *Synistatorum* Fabr. (g.), quibus

B ad-

(f) Insecta *Synistatorum* classi subjecta maximam partem quattuor palpis armata sunt: nempe *Monoculus* L. *Omniscus* L. *Lepisma* L. *Podura* L. *Ephemera* L. *Phryganea* L. cum associato *Sembla* Fabr, *Hemerobius* L. *Termes* L. *Panorpa* L. *Raphidia* L. *Cynips* L. *Tenthredo* L. *Sirex* L. *Icbneumon* L. *Sphæx*, *Vespa* & *Apis* L. & quæ cum his propinquitate quadam juncta sunt nova a Fabr. recepta genera: *Evania*, *Tiphia*, *Scolia*, *Chalcis* Mantiss. *Thynnus*, *Leucopsis*, *Bembex*, *Crabro*, *Andrena* & *Nomada*, *Chrysis* L. *Formica* L. atque *Mutilla* L.

(g) Exempla ordinis palporum senarii in Classe *Eleuteratorum*, comparatione cum quadrijugis instituta multo rariora, sunt: *Chrysomela* Fabr. primam *Chrysomelarum* L. phalangem comprehendens, eique cognatus *Alurnus* F. *Cicindela* L. eiusque consobrinus *Elaphrus*, F. *Dytiscus* L. *Carabus* L. & *Tenebrionis* L. species aliquot genus Fabr. *Scaritis* constituentes, In Classe

adhuc cunctæ generis *Cancræ* propagines, ab Illustr. Linneo in plures manipulos sub eadem *Apterorum* Centuria militantes ordinatæ, quas in septem genera *Cancræ* scil. *Pagurum*, *Scyllarum*, *Hippam* Mantiff. *Astacum*, *Squillam* Mantiff. & *Gammarum* distributas, propria Classe *Agonatorum* titulo denotata comprehendere placuit Fabricius, subjungantur oportet,

§. III.

Verum enim vero si in solo numero tanta reperiatur Palporum diversitas, quanta non obtinebit varietas in proportione, situ atque reliquo eorum habitu. Ea namque est naturæ in his partibus conspicua lascivia, ut hi iidem sensus, ut opinamur, cujusdam ministri, in aliis brevissimi sint & ita intra oris limbum reconditi, ut se conspectui vix sæpius offerant, quam dum ex aperto ore ministerii sui gratia protenduntur; in aliis magis vel minus elongati, immo dilatatissimi: modo pilorum instar tenuiorum ita attenuati & expansi, ut barbularum, quas barbaro vocabulo *myfaces* appellant, speciem referant, ut in *Coleopteris* & plerisque aliis: modo propter velle-  
ris, quo densissime obducuntur, crassitudinem ita turgidi & quasi obesi, ut oris aperturam prorsus obturare videantur, quales in *Lepidopteris* se exhibent: modo la-  
mi-

---

vero *synistatorum* duo tantum occurrunt genera ab Ill. Linneo conjuncta, a Fabr. autem separata, *Myrmeleon* scil. & *Ascalaphus*, quæ senario palporum apparatu a reliquis facillime dignoscuntur.

minarum instar laciniarumque ita complanati & porrecti, ut pro tegminibus partium oris primo saltem obtutu haberi potissimum queant, quemadmodum in *Cancrorum* speciebus numerosissimis instruantur: modo denuo in amplitudinem & proceritatem adeo explicati, ut brachia & pedes propemodum assimilent, quorum exempla nobis præbent *Arancarum* & *Scorpionum* familiæ. Accedit, Palpos unius eiusdemque insecti esse: jam ad æstem æquabiles ex. c. *Curculionum*, *Hispæ*, *Gyrini* &c. jam ad eandem mensuram propius accedentes, ex. c. *Cicindelæ*, &c. jam quoque tam figura quam in primis magnitudine per singula paria ita discrepantes, ut ex Palpis quadrijugis anteriores semper sint in *Elatere*, *Lucano*, *Cantharide*, *Ichneumone* & plerisque longiores, posteriores autem licet rarius, in quibusdam scil. *Attelabi* L. speciebus ceu *formicario*, *mutillario* & qui alii ad *Cleros* Fabr. referuntur, simulac *Onisco* L., *Sirice* L. *Nomada* Fabr. & paucissimis forte aliis prævaleant; de Palpis iterum senariis reliquos ut plurimum longitudine superent intermedii *Dytisci* L. *Carabi* L. *Chrysomelæ* &c. rarius nec nisi in *Myrmelconis* genere superemineant posteriores, anteriores vero nunquam; semper tamen intra suam speciem sibimet similes & constantes, exemplo, quod sciam, unico *Culicis* excepto, cuius mares Palpos gerunt elongatos, sæminæ vero abbreviatos.

§. IV.

Neque alia est Palporum, respectu ad eorum situm & particularem adhæssionis locum habito, conditio us-

que adeo varians, ut intra oris caveam vix reperiatur punctum, cui non in aliquo saltem genere palpi adhæreant, licet propter harum partium subtilitatem & ipsius loci angustias, hæc indagatio valde sit difficilis & in Insectis minimis solo forsitan Fabriciano oculo suscipienda. Aut enim internam oris parietem vel regionem palatinam occupant, aut instrumentis insident cibariis, ita dispositi & ordinati, ut quoties bijugum numerum superent, unum par sit anterius, quod sæpe rectius dicitur superius, & alterum posterius vel inferius, quibus tertium in quibusdam supra memoratis insectis accedit intermedium. Exquisita autem atque specialissima huius adhæSIONIS indoles & modificatio, quæ propterea, quod immutabilis sit & sua cuique generi attributa, permultum in characteribus generum adornandis Fabricio satisfecisse cernitur, lusum naturæ iterum iterumque mirum proponit oculo evidentissimum, immo manibus se ad investigationem conferentibus palpandum; quem idcirco brevi commemoratione dignum judicavimus. Recessus oris interiores origine sua directo contingunt Palpi omnium *Lepidopterorum*, infero limini, jam remotius, ut in plerisque, jam proxime ad basin Lingvæ eorum spiralis, cui adjunguntur Palpi posteriores *Tineæ* Fabr. ab utroque latere interius adnati. In superiori vero oris regione resident quotquot ex ordine *Apterorum* L. vel *Agonatorum* & *Unogatorum* Fabr. internæ oris cuticulæ revera adnectuntur, aut ipso limbo ostii superius &

an-

anteriori, quorum exempla nobis fiſtunt Palpi quattuor anteriores totius *Cancrorum* familiae, aut intra oris caveam profundius inter mandibulas & maxillas palato adjuncti, quod generi *Juli* atque *Scolopendrae* praesertim convenire cognovimus. Tanto autem numerosiores sunt gradus disparilitatis, qua Instrumentis oris, Cibariis vulgo dictis, jam his jam aliis affiguntur. In toto nempe *Dipterorum* ordine ea est alterna Palporum applicatio, ut aut Haustello adhaerescant aut Proboscidi. Qui Haustello insident, interdum vaginam ipsam, sive bivalvis sit sive univalvis, occupant, modo lateribus fere mediis, ut in *Culicis* genere, modo basi utrinque, ut in *Asilo* L. *Bombylio* L. & qui sub eodem ordine *antliatorum* Fabr. militat *Acaro* L. revincti; interdum etiam setis Haustelli alligantur, jam ad basin earundem, ut in *Musca myslacea*, *diophthalma* L. aliisque quae novum *Syrphi* genus Fabr. constituunt, jam sub apice setarum lateralium, ut in *Conope rostrata* L. (*Rhingia* Fabr.). Qui demum Proboscidi adjacent, modo basin eius lateralem arctissime amplectuntur, ut in *Tipula*, *Tabano*, *Empi* Lin. & quae sunt pluribus; modo in ipsa Proboscidis medietate ab utroque latere sedem sibi eligunt, ut in *Musca chamaeleon*, *microleon* & reliquis *Stratiomys* Fabr. speciebus; modo paullo ultra basin genicula illo innectuntur, quo stipes Proboscidis anteriora versus flectitur in *Conope vesiculari*, *macrocephala* & quae aliae sunt generi *Conopis* Fabr. e *Conope* Lin. evulso subje-

*Ææ.* Neque Mandibulæ profus exfortes sunt huiusmodi Palporum habitaculi; quotquot enim sunt *Cancrorum* a Fabr. citata genera *Agonata*, Palpos suos posteriores, qui tertium par constituunt, Mandibularum dorso insistentes gerunt.

Omniū tamen partium oris, Palporum stationibus maxime celebribus ditatissima ornatissimaque sunt Maxillæ atque Labia; quæ enim adhuc restant genera & ordines, Palpos adeo communiter nominatis hisce oris partibus impositos habent, ut exceptio fere sit rarissima. Præterquam enim quod Maxillis affigantur Palpi generum quorundam ex ordine *Neuropterorum* & *Apterorum* Lin. quæ sub classe *Unogatorum* Fabr. comprehensa binos tantum Palpos prætendunt, utpote *Libellularum* omnium in tria genera a Fabr. distinctarum, *Aranearum* atque *Phalangiorum*, in quibus medio fere Maxillarum dorso Palpi ita applicantur, ut iisdem simul superincumbant, quibus *Scorpiones* Palpis suis validis juxta basin Maxillarum inferne insertis gesticulari amantes superaddimus; ea insuper generalissima est huius insertionis lex & dispositio, ut Maxillis vario ligamine innitantur Palpi anteriores, dum posteriores Labio incumbant atque intermedii, si adfuerint, anteriorum basi arctissime adjungantur; idque adeo constanter & solemniter, ut mihi quidem non sit genus quoddam Palpis quadrijugis munitum, e Classe *Coleopterorum*, *Hemipterorum*, *Neuroptero-*



pterorum, Hymenopterorum & Apterorum Lin. cognitum, quod ab ista regula vel minimum recedat, nisi unicum *Monoculi* genus ut toto corporis habitu ita quoque Palporum situ prorsus singulare: siquidem anteriores in tota hac familia subtus capitis testæ inhæreant, posteriores autem Maxillæ inferantur. Neque silentio prætereundum est, Palpos posteriores generis *Lucani* & *Coleopteris* L. a Labio quidem obvallatos & reconditos, eidem tamen non esse directo adscriptos, quatenus fasciculis duobus pilosis, penicillos æmulantibus, elongatis, a basi Labii excrescentibus arcte semper insident. Hæc tamen legitima Palporum distributio atque collocatio suis iterum varietatibus haud ita paucis est obnoxia. Palpi etenim, qui Maxillarum satellites sunt ordinarii, antè & superius protensi, jam extremo earundem apici affliguntur, ut in *Mutilla* L., jam propius ad apicem inferne adnectuntur ut in *Histere* L.; jam omnium sæpissime dorso incumbunt, ut in *Lucano* L. *Gryllis*, *Tenthredine* &c.; jam lateri exteriori, ut in *Phryganea* L.; jam lateri interiori intra curvaturam, ut in *Apibus* L. earumque consanguineis *Bembice* & *Andrana* Fabr.; jam basi adjunguntur, ut in *Gyrino* L. & *Chrysomelis* quibusdam, *merdigeræ*, *asparagi* &c. quæ *Crioceris* genus Fabr. constituunt. Intermedii, quoties cæteris interponuntur, semper in in una eademque statione jam dudum definita manent, indivulsi anteriorum comites, basi fere connati, in omnibus quæ novimus exemplis, deprehendendi. Po-  
ste-

steriores tandem quod attinet, magnam quidem situs mutabilitatem admittunt, quamvis intra limites Labii sint circumscripti; summo eius scilicet apici inseruntur in *Curculionibus* L. *Ephemeris* & *Sirice* L. &c.; juxta apicem lateraliter in *Pino* L. *Buprestide* L. &c. sub apice Labii in *Carabis* L. *Cerambyce coriario* L. (*Priono* Fabr.) &c. prope apicem interius in *Dermestide lardario* L. & F. &c. apici laciniarum exteriorum Labii in *Apibus terrestri*, *hortorum* &c. sub apice setarum Labii in *Ape caerulea*, *cænea* L. (*Andranis* F.); parieti interiori in *Scarab. melolontha* L. (*Melolontha* F.), *Attelabis variis* &c.; medio anteriori in novis Fabr. generibus ad *Chrysomelas* proximis *Zygia* & *Zoniti*; medio laterali in *Melyride* & *Hæmerobiis* L. &c.; medio interiori in *Cicindelis* & *Gyrinis* L.; medio exteriori in *Cerambyce cædili*, *moschato* L. & F.; lateribus indefinite in *Silpha sabulosa* L. (*Opatro* F.); basi interiori in *Scarab. nobili* L. (*Cetonia* F.), *Ceramby. sutore* L. (*Lamia* F.); basi laterali in *Hispis* & *Myrmeleone* L.; basi exteriori in *Silpha thoracica*, *opaca* L. & F., *Meloë monoceros* L. (*Notoxo* F.); basi anteriori, in *Ceramby. planato* L. (*Cucujo* F.); basi laciniarum exteriorum Labii, in *Ape rostrata* L. (*Bembice* F.); ex quibus igitur omnibus abunde patet, quam sit natura in his tam parvis tamque contemptis multiplex.